



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LIII. De Exceptione Illegitimitatis opposita hæreditarem petenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

tis labore, vel temperantiæ limites egressis, vel recitationem Breviarii in seram usque noctem differentibus. Nimirum si somnus est tantus, ut non nisi vitiosissimè proferantur verba, vel omnino non audiantur, quæ recitat socius, si instituat oratio Horarum Canonicarum cum socio, non satisfit præcepto, & peccatur mortaliter, intellige, si notabilis pars Breviarii ita miserè recitetur, imò non recitetur, sed omittatur. Si verò somnus sit tenuis, identidem interruptus, cum perpetua lucta, & conatu omnia pronuntiandi, vel audiendi à socio dicta, satisfit præcepto, nec est obligatio supplendi, licet sat multa verba corruptè & vitiosè fuerint pronuntiata, vel etiam aliqua omnino omiſſa, &

dicta à socio non perfectè audita percepta. Gobat n. 277. Facile enim peccatur venialiter, si nimis languidè refitatur somnolentiæ, prævidens suam infirmitatem, in cibo vel potu, aut tam diu abſta, iusta causa distulit recitationem Breviarii. Imò qui molestiâ somni recumbit in lecto, vel alias modò collocat corpus, & sic recitare Breviarium tali tempore, & in istis circumstantiis, in quibus probabilè attenda fragilitate sua credere se se dormiturum, & omiſſurum ea, quæ recitanda graviter obligat, peccat mortaliter, quia expostione probabilissimo omittendi peccat, ut cum Navarro tradit Sanchi *confil.* l. 7. c. 33. n. 1. 2.



## TITULUS X.

### De Ordine Cognitionum.

#### DECISIO LIII.

De exceptione illegitimitatis oppositæ cuidam hæreditatem paternam petenti in Judicio.

#### SPECIES FACTI.

**T**res fratres nobilis prosapiæ possidebant indivisim gentilitium Castrum; postquam verò unus eorum Bernardus nomine mortem oppetierat

relictò filiò, quem dicimus Leonardum, iste titulò hæreditariæ successus prætendit communionem in jus Castri cum patris suis: &

eritulum volebant. Quapropter Principem Laicum adiit Lombardus, petiitque hereditatem paternam: illi verò excipiebant contra eum tanquam illegitimum, imò non filium defuncti fratris sui, eò quòd Mater illum jam uerò gesserit, cum contraheret Matrimonium cum Bernardo, & sic ali-

enam prolem ex scelere conceptam suo marito supposuerit. Hac exceptione proposita Judex distulit causam principalem, & pramissit cognitionem de incidente super legitimitate Lombardi, reclamante quidem Lombardo, & causam legitimitatis ad Judicem Ecclesiasticum pertinere multis contendente.

### QUÆSTIO.

An Judex Laicus rectè processerit cognoscendo prius de incidente causa legitimitatis in hoc casu?

Negari equidem non potest, quin ista exceptio contra Lombardum tanquam illegitimum, imò exmatrimonium, sit præjudicialis exceptio, in ut cognitio de illa debeat præcedere tractationem causæ principalis, eò quòd causa successionis pendeat à questione Natalium, & probatus horum defectus perimat jus & petitionem hereditatis in Lombardo. Atque sic exigit ordo cognitionum, in hoc imò *l. 2. 3. eod. in Cod. præscripta*, difficultas tamen se prodit quoad forum, & quidem *I. ex c. tuam 2. b. l. ubi Honorius III. Ludovico Francorum Regi ita rescripsit: tuam non credimus latere prudentiam, causam Natalium charissime in Christo filia. N. ad examen nostrum, utpote quæ ad forum Ecclesiasticum pertinet, jam dudum esse delatam. Consonant c. lator 8. c. causam 7. qui filii sint legitimi.* atque utriusque Juris testimonia. II. et qualitate & natura causæ, quæ plane spiritualis censenda est; nam legi-

mitas unicè habetur & dependet à valore Matrimonii, quod, postquam à Christo ad rationem Sacramenti elevatum est, causa spiritualis, ac per consequens fori Ecclesiastici effectum est. Cum igitur de legitimitate constare nequeat, nisi prius constiterit de valore Matrimonii, de quo cognoscere spectat privativè ad Judicem Ecclesiasticum, pariter de legitimitate ad eundem spectat privativè cognoscere & judicare.

Sed in præsentii hypothesi non ita urgent hæc argumenta, ut non pro Judice Laico standum sit. Ratio, quia legitimitas per se non est aliquid spirituale, sed effectus Legum humanarum, certis favoribus privantium eos, qui non ex justis nuptiis sunt procreati: ergo per se non refugit Judicem Laicum. Igitur solum tunc de ea cognoscere pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, quando connectitur hæc cognitio cum questione Juris de valore Matrimonii, sive an Matrimonium, ex

quo aliquem prognatum esse non dubitatur, validum fuerit, iuxtaque nuptiz. Per ea, quæ tradit Petrus Barbosa cum aliis in *l. Titia 35. n. 36. ff. soluto Matrim.* Thom. Sanch. *de Matrim. l. 3. d. 54. n. 4.* Gutierrez *l. 2. pract. g. 2. n. 1.* Gonzalez *ad c. 3. h. t. n. 15.* atqui in præsentî hypothefi non connectitur cum quæstione Juris, an Matrimonium, quod Bernardus contraxerat cum matre Lombardi, fuerit validum, nec ne? sed tantum dubitabatur, an Lombardus ex hoc parente genitus sit, seu erat quæstio facti meri, an Lombardus sit filius Bernardi, & non jam conceptus ex alio ante contractum Matrimonium: ergo in præsentî hypothefi cognoscere de legitimitate Lombardi non pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, sed rectè à Laico fuit suscepta.

Confirmatur juxta allegatos & alios DD. etiam in casu controverso, an Matrimonium clam, vel in facie Ecclesiæ contractum sit (item an bona vel mala parentum fide juxta *c. extenore. qui filii sint legit.*) Sæcularis Judex potest cognoscere, quia pertinet

ad factum, seu quæstio meri facti non spiritualis tractatur: postquam autem Judex Laicus pronuntiavit de facti proles censetur legitima vel illegitima nec opus est alia cognitione vel sententia. Barb. *lo. cit.*

Ad *c. tuam 3. cit.* repono: ibi quæstio legitimitatis dependebat à quæstione Juris, num Matrimonium fuerit validum, & legitimum ob impedimentum consanguinitatis, non verò dubitabatur, an defacto fuerit contractum, vel an proles ex hoc vel alio parente concepta fuerit. Similis est responsio ad allegata *c. 5. c. 7.* Ad rationem facilè colliges responsiones ex paulò antè dictis; non enim leper dependet cognitio de legitimitate à quæstione Juris de valore Matrimonii, quamvis ipsa legitimas non de sine valido Matrimonio, vel facti bona fide existimato; sed sæpe potest dubitari de facto, & cognitio de legitimitate à quæstione meri facti dependere, v. g. an hæc vel illa proles sit concepta ante vel post Matrimonium contractum, an ex matre vel alio &c.

